

causam; effectus; eventum; adeoque saepe omnino incurabilem esse; & raro colliquatum, eumque vix unquam medicabilem.

721. Si continuatur diu, viscera abdominalia magis magisque in eundem morbum disponit; eadem labefactat; excoriat; inflammat; reliqua autem vasa & viscera emungit, exhaustit; hinc atrophia, maces, debilitas, dysenteria, inspissatio fluidorum per totum habitum corporis; solidorum laxitas; fluidorum jactura; leucophlegmatia; hydrops; tabes.

722. Sanatio absolvitur acris irritantis lenimine; expulso per emetica, purgantia, clysmata; corroboratione laxi; pacatione impetus per narcotica; determinatione ailiorsum per sudores, urinasve; subductione materiae morbosae, correctio ejus fonte primo.

### EXANTHEMATA FEBRILIA.

723. Pustulae inflammatoriae habent ut plurimum pro materie aliquid, quod minima vascula cutanea transire non potest, sed ibidem haeret; pro causa autem vim vitae circulatoriam, secretoriam, excretoriam: unde pro variis hisce causis valde multiplices sunt, unde febres nomen dein accipiunt, erysipelatosae, scarlatinæ, pete-

petechiales rubrae, petechiales purpureae,  
morbillosae, variolosae.

724. De tribus posterioribus seorsum tra-  
ctari solet: de tribus primis autem facile  
diagnosis & prognosis formari queunt.

725. Curatio difficilis non est, quum ra-  
ro quidquam requirant, nisi ut satis larga  
levis liquidi copia mobilis servetur mate-  
ries, atque vis vitae in justo moderamine  
perseveret assiduo; tum enim brevi cum  
desquamatione epidermidis abeunt.

726. Reliqua febris symptomata his si-  
milia & agnata, vel ut morbi ipsi curari  
postulant.

727. Hinc patet, quid sentiendum de fe-  
brum acutarum varietate; nam quae mo-  
tum febrilem semel excitatum uno impetu  
ad finem producunt, Continuas vocamus;  
quae per vices impetum remittunt, & de-  
nuo excitant, ut semper duret febris, con-  
tinuas remittentes; quae per vices impe-  
tum remittunt, ut plena  $\alpha n u g e \xi a$  inter duos  
quosque paroxismos intercedat, vocantur  
intermittentes.

### F E B R I S C O N T I N U A .

728. Continuarum simplicissima Eph-  
mera, seu diaria, spatio 24. ho-  
garum initia, incrementa, statum, decli-  
natio-